



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ad annum Christi 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118618

§. 92. Hoc Pontificis responsum Cæsari non communicatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

„ta per omnem virium conatum de-
 „fensione Pontificiæ auctoritatis, de qua
 „admodum pie atque etiam secundum
 „mentem meam Cæsarea sua Majestas
 „monet, sustinendam, custodiendamque
 „eam non esse, nisi ad Dei Gloriam, &
 „emolumentum Religionis: quod ad-
 „juvante Deo semper me præstiturum
 „confido.”

Sæcul. XVI.
 A. C. 1563.

§. XCII.

*Hoc Pontificis responsum Cæsari non
 communicatum.*

Cum autem Cæsar Pontificem, ut Tri-
 dentum veniret, invitasset, ad hoc
 Pius eadem ferme, quæ in prima sua
 epistola exposuerat, repetebat. Hæc
 fuere ambo Pontificis responsa, quæ, ut
 inquit Pallavicinus, *parata quidem, sed
 non missa fuere, cum materia nondum sa-
 tis digesta videretur,*

Pall. c. 8. n. 5.

Quapropter illorum loco Pontifex
 paucis ad Cæsarem rescripsit, atque
 commendavit ejusdem pietatem in
 Pontificem, Sedemque Apostolicam,
 necnon studium, quo maximam uti-
 litatem christianis gentibus ex corre-
 ctionibus a se propositis conferre stu-
 deret, simul tamen illum rogabat, ut
 fidem falsis rumoribus tum sparsis de-
 negaret. Dein significabat, responsio-
 nes ad singula hujus scripti capita red-
 ditum

M 2

ditum

Sæcul. XVI. ditum iri a Morono Cardinale, qui brevi
A. C. 1563. Legatus ad ipsum iturus esset. His adde-
 bat, sperare se interim hæc responsa
 Cæsari grata fore, præcipue vero
 cum idem certo sit animo, se velle
 nec suspensionem, nec dissolutionem
 Synodi a se coactæ, sed potius sibi poli-
 liceri tam prosperum hujus Concilii ex-
 exitum, ut exinde Christiana Respublica
 maximum colligeret emolumentum.

§. XCIII.

*Franciæ Oratorum postulata de præ-
 ponendo Reformationis negotio.*

*Pallav. c. 9.
 s. 1. & 2.*

Postquam Patrum conventus hucus-
 que Mantuani & Seripandi Cardi-
 nalium obitu interrupti rursus continua-
 ti fuerant, Franciæ Oratores denuo Le-
 gatos, ne fidei dogmata discuterent, ab-
 sterere, eosque ad pertractandum e-
 mendationis negotium inducere cæpe-
 runt: verum illis responsum, quod non
 ita cuncti Patres sentirent, quin imo
 vehementer a Cæsare urgerentur, ut exa-
 men absolveretur circa quæstionem de
 Matrimonii, & Ordinis Sacramento,
 quapropter disputationibus Theologo-
 rum brevi absolutis, Legati ad tollendas
 Ordinis corruptelas operam converte-
 runt, ut eas generalis Conventus judi-
 cio exponerent, statim ac selecti ad illas
 colligendas Patres munus suum obis-
 sent.